



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio XXX. De actibus Spei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

TOM. II.

illius ignaviam desperat. Et per hæc patet ad argumenta primæ sententiæ, quatenus contra hanc conclusionem facere videntur.

SECTIO UNDECIMA.

Ostenditur quo pacto possit quis sperare alteri beatitudinem.

I. Declaratur sub qua ratione sperare quis possit alteri beatitudinem.

CONCLUSIO secundâ: Si tamen speretur proximo beatitudo, quatenus ratione unionis cum illo, sive ex dilectione, sive propinquitate, vel alio vinculo, est unum moraliter cum sperante, & bonum illius est bonum sperantis, talis actus erit actus Spei Theologicæ: Probatur, ejusmodi quippe actus versatur circa Deum quatenus bonum nostrum, saltem mediâ ratione proximi, quia ad nos apprehenditur pertinere, & sub hoc respectu desiderium & Spes ad bonum ipsius terminatur. Nec contrarius est Sanctus Augustinus, qui loco supra citato solum loquitur, quando nullo modo est bonum sperantis, hic autem licet beatitudo proximorum pertineat ad alios, non tamen sub hoc respectu terminat actum hujus virtutis, sed prout ad nos pertinet ratione unionis cum proximis; per quod patet ad argumentum secundæ sententiæ in quantum contra nos facere videntur.

Ostenditur qua hac in parte sit mens D. Augustini.

II. Obijcitur hic affectus non videtur Spei, nec amor concupiscentiæ, sed amicitia.

Contra nostram tamen conclusionem objicies primò: Unio cum proximo per amorem potius facit, ut actus, quo illi desidero bonum, non sit Spei, sed Charitatis, seu benevolentia; patet, nam quia illum amo, tali amore motus, rei ut amico ex complacentiâ ipsius, & consequenter ex benevolentia desidero ei bonum, & non

ex amore concupiscentiæ, seu ex complacentiâ mei ipsius. Respondeo unionem factam per amorem Charitatis dupliciter considerari posse: Primò, ut est quidam actus movens ad intendendum proximo bonum propter finem, quem ipse respicit, ex bonitate scilicet illius objecti, & complacentiâ in eo, & sub hac ratione quæcumque proximo desiderantur, pertinent ad amicitiam, non ad Spem.

Dupliciter considerari potest unio facta per amorem.

Secundò considerari potest unio amoris, non ut movet ad desiderandum bonum proximo propter ipsum, sed ut proximum facit ad nos pertinere, sicut facit propinquitas, vel aliud vinculum verbi gratia, & tunc facit, ut velimus illi bona quatenus est aliquid spectans ad nos, & sub hac ratione tale bonum illi desidero, aliter non desideraturus, quod signum est fieri ex complacentiâ nostri, & sic ad Spem pertinet.

III. Explicatur quo pacto hic amor proximi fit ad nos.

Objicies secundò: Beati habent hoc vinculum, & nos amant, ac desiderant nobis beatitudinem, & tamen ille actus non est Spei Theologicæ, quam juxta Divum Thomam non habent, ergo desiderare vel sperare aliis beatitudinem non est actus Spei Theologicæ. Omisiss aliis solutionibus respondetur ex jam dictis, abstrahendo in præsentem an maneat in beatis habitus Spei necne. de quo postea. Dicendum itaque eos non habere actum sperandi elicitem ab hac virtute, quia hæc virtus, quæcumque desiderat distincta à beatitudine subjecti in quo est, ea desiderat & sperat ex desiderio & Spe beatitudinis propria, quæ in omni actu est ratio formalis, neque alio modo potest quisquam aliquid sperare: unde cum beati jam habeant beatitudinem, nihil sperare possunt per hanc virtutem, quæ quidquid respicit, respicit in ordine ad beatitudinem propriam.

IV. Obijcitur Beati cupiunt nobis beatitudinem.

Respondetur beatis hic faciendo non habere aliam virtutem Spei Theologicæ, hæc enim virtus in beatis desiderat ex se beatitudinem propriam.

DISPUTATIO TRIGESIMA.

De actibus Spei.

POST explicatum objectum, tum materiale, tum formale Spei, restat juxta ordinem à nobis in principio positum, ut de actibus ejus agamus, quod in hac Disputatione faciemus, in qua eandem fere methodum servabimus, quam in materia de Fide, suppositis tamen nonnullis, quæ ibi sunt abunde declarata.

SECTIO PRIMA.

An actus Spei ad appetitum, & partem ejus irascibilem pertineant?

I. Actus Spei pertinet, non ad appetitum sensitivum, sed rationalem.



PRIMA Conclusio: Actus Spei essentialiter est actus elicited à voluntate; ita quæst. sequenti Divus Thomas cum communi Theolog. Probatur ratione D. Thomæ, quia objectum Spei, ut vidimus, spectat ad appetitum,

tum sic, illud bonum est spirituale & honestum, utpote ad beatitudinem ordinatum, cujus non est capax appetitus sensitivus; ergo ad rationalem tantum appetitum, qui est voluntas, pertinebit actus Spei, de quo est sermo. Confirmatur ex definitione Spei, quæ vel essentialiter est desiderium, vel illud includit, ut postea dicitur, sed desiderium est actus voluntatis; ergo, major patet, cum enim sit actus amoris circa bonum tantum futurum non potest non esse desiderium; hoc enim nihil aliud est quàm amor boni futuri, quamvis aliquid supra desiderium addat.

Cum actus Spei includat desiderium, spectare debet ad voluntatem.

Secundâ

II. *Offenditur actus Spei esse actum appetitus irascibilis.* Secunda Conclusio: Actus Spei est actus appetitus irascibilis; hac non tam probatione quam explicatione indiget, pro qua suppono appetitum animale, quia duo officia exercere debet, dividi etiam solere in concupiscibilem & irascibilem: primum enim debet prosequi bonum appetendo illud simpliciter, quod dum praestat, concupiscibilis dicitur; quia tamen hoc bonum saepe est arduum, & difficile, vel quia in eius consecutione adeundi sunt labores, vel quia impeditur a contrariis, ideo debet & difficultatem in huius boni affectione aggredi, & bonum ipsum tueri a contrariis, quod dum praestat, irascibilis dicitur. Habet ergo has duas considerationes quatenus haec duo munera exercet; verius enim est non esse has duas potentias realiter distinctas, frustra siquidem asseretur talis distinctio, cum utrumque ab eadem potentia praestari commode possit, sicut est eadem potentia cognitiva convenientis & mali, a qua movetur ad fugam unius, & alterius prosecutionem, sicut ad eandem potentiam spectat, ut omnes concedunt, gaudere de bono & dolere de malo.

Concupiscibilis & irascibilis non sunt diversa potentia.

Ab eadem potentia provenit motus ad gaudium & dolorem.

III. *Quomodo aliquis distinguat actum Spei in irascibili a desiderio, quod est in concupiscibili.* Quares: Quomodo actus Spei, qui est in irascibili differat a desiderio quod est in concupiscibili? Scotus in 3. d. 26. punct. 1. Gabrieli ibidem, quaest. 1. art. 3. d. 1. Almainus tractatu 2. Moral. c. 1. Vega lib. 6. in Concil. Trident. c. 26. sine, Durandus quaest. 2. Sotus in 4. d. 49. q. 4 & quidam moderni docent, vel non distingui haec duo, vel se habere ut superius & inferius, quia desiderare solemus affectu inefficaci impossibilia, vel non futura, vel facilia, unde desiderium ut sic est affectui Spei superius; quamvis, inquit, possint interdum coincidere.

IV. *Alii desiderium ardui futuri in tantum dicitur esse Spei, in quantum commotat persuasionem fore, ut res desiderata eveniat.* Alii, concedunt desiderium efficax boni ardui futuri in recto, esse Spem, non tamen utcumque, sed quatenus tale desiderium in obliquo connotat ex parte intellectus persuasionem, quod bonum desideratum verè eveniet, quam persuasionem proprie confidentiam nominari aiunt. Hac ergo posita cum efficaci desiderio & absoluta intentione requirendi bonum arduum, non obstantibus difficultatibus, non videtur quid amplius concipi possit in affectu Spei circa tale bonum: ita Vasquez l. part. d. 84. cap. 1. & 12. d. 4. cap. 2. Salas 1. 2. tractatu 9. disp. 1. sect. 2. & disp. 3. sect. 1. sine.

V. *Spem alii realiter distinguunt a desiderio.* D. Thomas 1. 2. quaest. 40. art. 1. & cum eo Thomista, D. Bonavent. art. 2. quaest. 4. Medina 1. 2. quaest. 62. art. 4. & Interpretes communiter hic asserunt, licet Spes late sumpta dici possit desiderium quoddam, eam tamen verè & realiter a desiderio distingui, tum efficaci, tum etiam inefficaci: quae sententia, quia veram eam existimo, sit nostra

VI. *Declaratur quo pacto Spei laud sumpta dici possit desiderium.* Conclusio: & quidem quoad priorem partem constat, quia Spes est quaedam prosecutio boni nondum adepti, quae cum vix intelligi possit, nisi per modum cuiusdam desiderii, nil mirum quod hoc nomine aliquando vocetur. Constat tamen non esse actum qui proprie dicitur desiderium, quodque curam & anxietatem causat, sed potius est actus, qui facit, non tam ut credamus rem concupitam eventuram, quam actus ex tali persuasionem & desiderio ortus, qui animum erigit ne labatur, estque nova prosecutio objecti in voluntate, novusque affectus quo peculiariter ad objectum & media per quae obtinendum est afficitur, quae erat secunda pars conclusionis.

VII. *Spes tamen non est desiderium striete sumptum.* Confirmatur: Quia rectè adesse potest iudicium sufficiens ad desiderium, etiam efficax, & tamen non adesse iudicium illud, quod ad Spem est necessarium; ergo non sunt iidem actus, cum requirant distinctam cognitionem ex parte intellectus: Antecedens probatur, ad desiderium namque sufficit ut proponatur aliquid a me hic & nunc possibile acquiri, & media proportionata ad illud consequendum; tunc enim afficitur quis erga tale bonum futurum, & media apponit: ad sperandum verò, & ut quis magno animo & laetus sufferat labores, quod proprium est Spei, requiritur insuper iudicium quo illud bonum non solum possibile hic & nunc credatur, sed etiam eventurum ut speratur, quod si tale iudicium non adsit, si adhuc existimetur possibile, perseverat desiderium, Spes verò deficit, nam licet Spes non requiratur evidentiam scientiae, habere tamen debet conjecturam, ut quod saepe factum est, modò in simili casu eveniat.

Aliud iudicium intellectus requiritur ad Spem, aliud ad desiderium.

Plus ad Spem requiritur, quod ad desiderium.

Cessante Spei desiderium saepe perseverat.

VIII. *Quamvis aliquod desiderium abstrahat a futuritione rei, saepe nihilominus fertur in bonum possibile ut futurum.* Aliqui aliam distinctionem addunt, quod scilicet desiderium non spectet futuritionem, sicuti Spes; sed solum respiciat bonum, ut hic & nunc possibile, abstrahendo a futuritione: quod licet fortè verum sit de desiderio in communi, ut comprehendit etiam inefficax, non tamen negandum videtur, quin etiam saepe feratur in bonum possibile ut futurum, nam intendit efficaciter bonum quod desiderat obtinere, & movet ad electionem mediorum, ad hoc ut obtineatur; ergo non solum ad rem illam terminatur sub ratione possibilis, sed etiam futuri; quod ex eo confirmatur, si enim objectum apprehendatur certò non futurum, statim definit hoc desiderium; ergo non solum respiciebat bonum illud ut possibile, sed etiam ut futurum.

SECTIO SECUNDA.

An ad eliciendum actum Spei, actus aliqui praequirantur, ex parte intellectus ac voluntatis, & quinam sint?

PRIMA Conclusio: Ad eliciendum actum Spei efficacem, praequiruntur ex parte intellectus actus iudicii supernaturalis; dixi efficacem, quia si aliquis inefficax reperitur, ad eam sufficit apprehensio boni sperandi, & quod obtineri possit.

Praequiruntur primo actus aliqui ex parte intellectus.

Probatur quia voluntas ut in philosophia ostensum est, caeca cum sit, ferri non potest in objectum, nisi illi per intellectum proponatur, neque actu efficaci qui procedat ad electionem mediorum nisi proponatur per actum iudicii; ergo, &c. Quod autem debeat esse supernaturalis, constat tum quia proponit objectum supernaturale, tum quia dirigit & proportionatè illud proponit ad actum Spei supernaturalem; & cum actus ille Fides esse debeat, ut statim dicam, erit supernaturalis, etiam quoad substantiam.

Ad actum Spei efficacem requiritur iudicium, ad inefficacem, si datur, sufficit apprehensio.

Secunda Conclusio: Iudicium hoc esse debet actus Fidei: ita D. Thomas, hic art. 7. & 12. quaest. 62. art. 4. & D. Augustinus quem refert Beda 1. ad Corinth. 11. *Fidelis, inquit, debet credere quod non videt, & visionem speret & amet;* & videtur colligi ex D. Paulo ad Hebraeos c. 11. ubi Fidem vocat *substantiam rerum sperandarum*, quia nimirum est cognitio, cui tamquam fundamento innititur Spes.

III. Iudicium primum ad actum Spei est actus Fidei.

TOM. II.

IV. Oſtenditur ad actum ſupernaturalem Spei antecedere debere alium ſupernaturalium Fidei.

V. Quomodo ad actum Spei interdum non requiratur Fides.

VI. Quale ſit hoc iudicium ad actum Spei prærequisitum.

Per auxilia divina poſſibile cuique eſt beatitudinis adeptio.

VII. Quis actus ad ſpem prærequiritur ex parte voluntatis.

Ad ſpem ſupernaturalem prærequiritur actus amoris ſupernaturalis obiecti.

Probatur primò: Quia obiectum formale Spei eſt ſupernaturale & ſupernaturaliter obtinendum per vires ſupernaturales, hoc autem cognoſci non poteſt lumine naturæ, ſed per ſolam Fidem, ergo requiritur actus Fidei, qui illud proponat voluntati. Secundò: Actus ſiquidem virtutum moralium inſeſarum diriguntur à prudentiâ inſuſâ, nec ad illos ſufficit prudentia naturalis, ergo & actus virtutum Theologicarum, quæ in voluntate exiſtunt, diriguntur à virtute Theologicâ intellectus, Fide ſcilicet, ad hoc inſuſâ.

Hæc autem conſuſio limitanda eſt primò, ut intelligatur tantum in viâ, in eorum ſententiâ, qui putant manere in patriâ aliquem actum Spei, de quo poſtea, in illâ enim ſententiâ dicendum ſufficere in beatis viſionem, per quam ibi res cognoſcunt, ſicut hic per Fidem. Secundò eſt limitanda, quòd licet requiratur Fides ad proponendum obiectum formale Spei ut ſic, ſeu in communi, tamen ad proponenda obiecta materialia in particulari, & ad applicandum illis formale, ut ſupra dicebamus, ſufficit actus prudentiæ ſupernaturalis: cum enim plura obiecta materialia ſperari poſſint, quæ non ſunt certò concedenda à Deo, illa proponi nequeunt per actum Fidei, quo omnino certò quis iudicet obiectum eſſe concedendum, ſi per hominem non ſteterit, ſed ſufficienter proponentur per actum prudentiæ ſupernaturalis.

Tertia conſuſio: Hoc iudicium non eſt quòd ego obtinebo beatitudinem, ſed quod poſſibilis eſt mihi, ſuppoſitis auxiliis Dei, quæ nemini denegantur, & ſi per me non ſteterit, eam à Deo obrinere potero. Prima pars patet, tum quia hoc iudicium, ego obtinebo beatitudinem, non poteſt eſſe certum, ſpeciali revelatione ſecluſâ, quæ paucis ſit, iudicium autem Fidei debet eſſe omnino certum, tum etiam quia in reprobis tale iudicium eſt falſum, cum nunquam adepturi ſint beatitudinem, & tamen poſſunt illam nunc ſperare. Secunda pars conſtat, quia illud iudicium eſt omnino certum, & ſufficiens, ut quis conetur ad confeſionem beatitudinis, & ad eliciendum actum Spei reſpectu illius, quia certum eſt, quod adeptio beatitudinis, mihi poſſibilis ſit à Deo, ſuppoſitis auxiliis ipſius, quæ mihi non denegabit, ſi per me non ſteterit. Non tamen negandum, quin iudicium illud, quo quis ſibi perſuaderet, ſe revera obtenturum beatitudinem, ſuppoſitâ miſericordiâ divinâ, multum juvet ad eliciendum actum Spei, non tamen eſt ad hoc neceſſarium.

Quarta conſuſio: Ex parte etiam voluntatis ad actum Spei prærequiritur actus amoris ſupernaturalis obiecti ſperandi: ita Divus Thomas 1. 2. quæſt. 66. art. 6. ad ſecundum, ubi ſic habet: Spes ſupponit amorem ejus, quod quis adipiſci ſperat, & ex ſupra dictis clarè conſtat, voluntas ſiquidem non erigitur ad ſuperandam difficultatem, quæ in confeſione ſui obiecti occurrit, niſi priùs alliciatur & determinetur ab amore talis obiecti, cum amor ſit quaſi pondus, ut ait Sanctus Auguſtinus, & prima radix, ex qua alii affectus dimanant. Quod etiam debeat eſſe ſupernaturalis probatur, quia ordinatur ad actum ſupernaturalem Spei, & ad illum intrinſecè præſupponitur, nullus autem actus ſupernaturalis poteſt habere connexionem neceſſariam cum re naturali, aut ab illâ derivari: ob quam etiam rationem amor ille, qui præſupponitur ut quis ſpe-

ret alteri beatitudinem ſupernaturalem, debet eſſe ſupernaturalis.

Quinta conſuſio: Licet amor per ſe prærequisitus ad actum Spei, ſit amor concupiſcentiæ, quo ſcilicet quis diligit beatitudinem, & Deum ut bonum noſtrum, ſimpliciter tamen ſufficit amor Charitatis, ſeu amicitiæ, quo quis diligit Deum ut eſt bonus in ſe.

Prima pars probatur; tum quia per Spem tendimus in Deum & beatitudinem, ut in bonum noſtrum, adeoque amor, qui ad hoc prærequiritur, eſt concupiſcentiæ & boni illius, ut noſtrum eſt, & ex hoc movetur ad ſperandum; tum quia peccator poteſt habere actum Spei ſine actu Charitatis, ergo amor ad Spem requisitus non neceſſariò eſt actus amicitiæ, & Charitatis, ſed concupiſcentiæ.

Secunda etiam pars patet, quia ab amore Charitatis poteſt quis moveri ad ſperandum bonum, quod ſic amat, nec in hoc ulla apparet repugnantia; & deſumi videtur ex Divo Thoma hic, art. 8. ubi aſſert S. Ambroſium dicentem Spem eſſe ex Charitate: & Divus Paulus dixit: Charitas omnia ſperat, quatenus ſcilicet imperat Spem, vel quatenus quis ex motivo illius ſperat, ſicut jejunit vel aliud opus bonum exercet.

SECTIO TERTIA.

An actus Spei ſit certus, & unde id habeat?

RATIO dubitandi eſt: Primò, quia certitudo & ſecuritas videntur opponi timori circa eandem rem, quilibet autem juſtus, quantumvis firmiter ſperet ſuam beatitudinem, timere nihilominus debet, nec certus eſſe de illius confeſione, juxta illud Proverb. Beatus vir, qui ſemper eſt pauidus: ergo nullus ſperare debet cum certitudine, ergo hæc non competit actui Spei.

Secundò: Quia nullus confeſqui poteſt beatitudinem abſque meritis, & finali gratiâ, ſed nullus poteſt eſſe certus an habeat merita, & ſit deſeſſurus ex hac vitâ in finali gratiâ, ergo nullus poteſt cum certitudine ſperare beatitudinem ut futuram, ſed tantum ut poſſibilem; quoties enim aliquid à duobus pendet principiis, altero infallibili, altero contingente, non poteſt non eſſe contingens, igitur actus Spei, qui in prædictis principiis niti debet, non poteſt habere certitudinem, & ſecuritatem de beatitudine ut re ipſa futurâ, ſed ſolum ut poſſibili, maximè cum nos ſupra dixerimus Spem beatitudinem reſpicere etiam ut perſuaſione futura eſt, & in hoc diſtingui eam à deſiderio, quòd hoc beatitudinem reſpiciat ſolum ut poſſibilem.

Conſuſio: Actus Spei Theologicæ ſimpliciter loquendo eſt omnino certus, & infallibilis, participativè ab actu Fidei: hæc videtur de Fide: & primò quidem quòd Spes ſit omnino certa, conſtat ex illo ad Romanos 5. verſ. 5. Spes non deſert certus eſt, conſundit: De hoc tamen teſtimonio plura dicentur infra, numero quinto: & ad Hebræos 6. verſ. 13. ubi Spes appellatur anchora firmiſſima & tuta, quia ut ait S. Anſelmus ibi: Sicut anchora navem firmam detinet ne fluctuet, ita Spes noſtra facit nos firmos in celeſtium expectatione. Idem Theologicam docet Sanctus Ambroſius in caput primum ſecundæ ad Titum: Sanctus Chryſoſtomus Homiliæ 9. in Epilt.

VIII. An ad actum Spei ſemper prærequiritur amor concupiſcentiæ.

IX. Cur ut plurimum ad actum Spei prærequiritur amor huiusmodi amor.

X. Actus Charitatis movere poteſt ad ſperandum beatitudinem.

I. Status proſentis difficultatis præponitur.

II. Exinde attingitur difficultas, quòd nullus ſcit ſe habere gratiam, aut eſſe in ea ex hoc vitâ deſeſſurum.

III. Spes Theologica ex participatione, ab actu Fidei certus eſt, & infallibilis.

Docent Patres Spem Theologicam eſſe omnino certam.

in Epist. ad Romanos. Divus Augustinus in Psal. 91. Ratio est, quia sicut illa Spes dicitur incerta, quæ nititur fundamento falso vel incerto, ita è contra illa dicitur certa, quæ certo nititur iudicio, & ita Spes nostra certa dicitur certitudine, quæ opponitur fallaciæ Spei humanæ, quæ sanè non ex eventu pensanda est, cum sæpè eventus non respondeat Spei prudenter de aliquo conceptæ, & è contra sæpè respondeat, licet temerè & levi fundamento concipiatur.

Differentia inter Spei divinam & humanam.

IV. Itaque Spes divina certa dicitur, quia certo nititur fundamento, quod quantum est ex se non deficit. Hoc constat ex D. Paulo ad Hebræos 11. dum ait Fidem esse substantiam rerum sperandarum, id est certitudinem, & 2. ad Timoth. 1. vers. 12. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. & clariùs ad Hebræos 6. vers. 18. Interposuit iurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam Spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam.

Declaratur ulterius unde Spei divinitatem suam, & certitudinem habeat.

V. Obijci tamen solet contra primum testimonium ad Rom. 5. illo non probari intentum, ideo enim dixit Divus Paulus Spem non confundere, non quia habemus Fidem, sed quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: quibus verbis denotare videtur Apostolus certitudinem Spei à Charitate potius quam à Fide provenire. Respondeo, Spem duplicem habere certitudinem; & de hac certitudine aliam ex Fide, tanquam ex parte fundamenti, & hæc est potissima, utpote quæ per se comitatur Spem, & communis est omnibus Christianis fidelibus, etiam peccatoribus. Alia verò est certitudo orta ex Charitate tanquam ex parte formæ, quæ tantum convenit iustis, amicus enim ab amico omnia bona sperare potest, neque periculum est ne confundatur; & de hac certitudine Apostolus scribit loco citato, quæ non excludit timorem & formidinem, cum nemo sibi conscius sit, an odio vel amore sit dignus. Quare licet hæc certitudo Charitatis competat Spei juxta Apostolum, non tamen excludit aliam certitudinem, quæ convenit Spei ratione Fidei cui innititur tanquam fundamento.

Res. Duplex in spe est certitudo, & à Fide, & à Charitate.

Firmitas Spei ex Fide omnibus convenit, firmitas ex Charitate solis iustis.

VI. Ex dictis colligitur non posse nos per Spem Theologicam sperare, nisi quod per Fidem futurum à Deo revelatum sit; cum enim nobis tantum sit certum per Fidem, beatitudinem, & reliqua bona ad ipsam ordinata, esse possibilia ab omnipotentia Dei, & futura nobis ab ipso, si tamen in gratiâ decedamus: hac tantum ratione certò possumus sperare illa promissa nobis à Deo, at verò cum Fide nobis non constet, nos in gratiâ decessuros, non possumus seclusâ speciali revelatione Dei, habere certum iudicium de futuritione absolutâ rei speratæ absque illâ conditione. Quapropter non est necessarium ad Spem, ut objectum speratum iudicetur certò futurum absolutè, sed satis est iudicare illud certò futurum, nisi nos gratiæ Dei defuerimus, sicque stet per nos.

Car in divinis Literis Spei conjugatur operibus.

VII. Hinc provenit, ut in Scripturis sæpissimè Spes conjugatur operibus, ut nimirum denotetur Spem quoad sui omnimodam certitudinem ab operibus studiosis & honestis dependere, ut constat ex illo Ecclesiastici 2. vers. 11. Nullus speravit in Domino; & confusus est; quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est: quod etiam explicatur sub comparatione olivæ Psal. 51. vers. 10.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei, & alibi: Spera in Deo & fac bonitatem: videatur Canisius capite de Spe §. 2. ubi multa Sanctorum Patrum testimonia ad hoc adducit. Concilium etiam Tridentinum sess. 6. cap. 13. docet qua certitudine sit sperandum, dicens: Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, etsi in Dei auxilio firmissimam Spem collocare omnes debeant, Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cepit opus bonum ita perficiet, & Can. 26. dicit Iustos debere sperare, si tamen benè agendo perseveraverint usque in finem. Unde Fide certum est quemlibet iustum verè sperantem beatitudinem, etiam ut futuram, posse in ejus consecutione deficere.

Optimè explicat Concilium Tridentinum, quo pacto Spes & Fidei nitentur, & operibus.

Ex quo ulterius fit, non esse requisitam ad actum Spei certitudinem absolutam, quòd certò & infallibiliter quis beatitudinem consequetur, cum illa certitudo eventus certò futuri pendeat ex mediis efficacibus, solis prædestinatis à Deo præparatis: certum etiam est reprobos vitam æternam non consecuturos, quos tamen cum certum sit sperare eam posse, certum etiam esse debet, non esse de ratione Spei certitudinem in eo sensu, quòd scilicet certò quis absolutè speret se gloriam adepturum. Quod ut fiat clariùs

VIII. Ad Spem non requiritur, ut quis absolutè iudicet se beatitudinem certò & infallibiliter consecuturum.

Advertendum, Fidem certò credere & Deum promissis stare, & promissis rectè operantibus per vires à Deo acceptas media necessaria ad consequendam beatitudinem. Quando ergo quis sperat futuram sibi beatitudinem, non solum habet in intellectu iudicium probabile, aut persuasionem fore ut beatitudinem consequatur, sed etiam iudicium certum, quòd Deus benè operantibus, & beatitudinem & auxilia necessaria promissit, & quòd promissis infallibiliter stabit: ex quo iudicio Spes sumit suam certitudinem: licet enim aliæ causæ sint defectibiles, per quas proinde ab illius consecutione deficere possit, non tamen ex defectu Dei, vel auxiliorum: unde ex hoc capite, seu quantum ad hoc Spes est certa, quamvis de facto aliunde deficiat.

IX. Deus est stat promissis infallibiliter, & promissis se bene operantibus daturum beatitudinem.

Ad primam rationem dubitandi, respondeo negando antecedens, quia certitudo Spei non est absoluta, sed conditionata, & ex parte nostræ dispositionis & cooperationis requisitæ subjecta est timori circa futuritionem actualem rei speratæ.

X. Actus Spei respectu beatitudinis non est absolutus, unde patitur secum timorem.

Ad secundam respondeo cum Divo Thoma, Spei certitudinem sumi ex omnipotentia, fidelitate, & aliis Dei attributis, quæ semper eadem sunt, nec fallere possunt, licet gratia & merita in quibus etiam secundariò nititur quis, ut actuè consequatur beatitudinem, possint deficere; hoc autem non tollit à Spe prædictam certitudinem: quod exemplo declarari potest, si quis enim acciperet à Rege pecuniam sub regiâ promissione, quod illi daret civitatem post mensem in pretium pecuniæ sibi reddita, si tunc accipiens pecuniam eam perderet, vel in alios usus consumeret, non eum fessellit Spes in verbo Regis & pecuniâ ab eo acceptâ, sed potius se ipse fessellit, qui suâ negligentia, vel pravitate pecuniam perdidit, per quam à Rege obtenturus erat civitatem. Idem de eo dicendum, qui acceptâ à Deo gratiâ tanquam pretio futuræ beatitudinis, ab eodem dandæ, gratiam illam perdidit, ei non cooperando.

XI. Illa in quibus primariò nititur Spes, divina scilicet attributa, deficere non possunt, possunt illa in quibus nititur secundariò.

Res hac declaratur exemplo ab humanis petito.

Quæres primò: Utrum actus Spei, sit supernaturalis? Ad hoc eodem modo respondendum sicut supra Disputatione 13. dixi de Fide, actum scilicet

XII. Actus Spei Theologica est in essentia supernaturalis.

Tom. II.

scilicet Fidei Theologicæ, sicut oportet, & qui necessarius est ad salutem, esse, non quoad modum tantum, ut vult Scotus, Caietanus, & alii, sed etiam in substantiâ supernaturalem, ut loco citato fusè declaratum est. Idem ergo hic dicendum de actu Spei Theologicæ. Potest etiam dari actus Spei acquisitus in entitate naturalis, isque honestus.

Quares secundò: An actus supernaturalis Spei Theologicæ sit ita honestus, ut nullâ ratione vitari possit? Nihil hac de re dicendum occurrit præter ea, quæ Tomo præcedente, Disputatione 92. Sect. 4. de actus supernaturalis in genere vitiatione dixi, eum nimirum extrinsecè vitari posse. Unde illic ostendi actum aliquem supernaturalem, etiam amoris Dei, posse ab extrinsecò vitari.

XIII. Actus supernaturalis Spei Theologicæ vitari potest extrinsecè.

DISPUTATIO TRIGESIMA PRIMA.

De habitu Spei.

DISCVSSIS iis, quæ ad objectum Spei, tum materiale, tum formale, ejusq; actus, à quibus specificatur, pertinent, in præsentis Disputatione de habitu Spei secundum se agemus, & ex iis quæ jam dicta sunt, naturam ejus ac notionem directè investigabimus, quæq; ei peculiare ab aliis, tum Moralibus tum Theologicis virtutibus, sint proprietates inquiremus.

SECTIO PRIMA.

An ad actus Spei eliciendos infundatur nobis habitus, qui sit virtus, & An hic habitus sit unus?

I. Ad hos actus Spei eliciendos infundatur habitus supernaturalis.



PRIMA Conclusio: Ad hos actus eliciendos infundatur nobis habitus supernaturalis. Conclusio est certa, & probanda eodem modo, ac eadem certitudine tenenda, quæ suprà, Disputatione 17. asseruimus, & probavimus dari habitum Fidei.

II. Docet Concilium Tridentinum infundè nobis habitum supernaturalem Spei.

Probatur ergo primò Conclusio ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi dicitur: *In justificatione hæc omnia infusa accipit homo, scilicet Fidem, Spem & Charitatem*; & hominem justificari ait per infusionem gratiæ, & donorum; neque ibi loqui potest Concilium de actibus, ut contendit Valquez 1. 2. d. 79. cap. 1. quia jam præsupponit Concilium illos requiri tanquam dispositiones ad ipsam justificationem, quam postea docet fieri per infusionem habituum. Adde in pueris, qui per baptismum justificantur sine ullo actu, non habet locum hæc explicatio; sed de hoc argumento latius dictum est tum in materiâ de Fide, tum de gratiâ.

III. Ad actus supernaturales eliciendos

Ratione probatur, voluntas siquidem non potest proportionatè elicere actus Spei, nisi habeat ad id potentiam, per quam elevetur, sed non habet potentiam naturalem; ergo supernaturalem

quem aliquem habitum qui se habeat instar potentia, sine illo namque non eliceretur proportionatè actus supernaturalis. Ex quo etiam constat hunc habitum esse entitative supernaturalem, sicut diximus de habitu Fidei, quia scilicet actus Spei sunt intrinsecè supernaturales; ergo & habitus. Notandum tamen, quod sicut ad primum actum Fidei in iis qui non receperunt habitum, non potest concurrere habitus, ut probatum est in materiâ de Fide, sed ille fit ex speciali auxilio Dei supplente concursum habitus, ita & primus actus Spei sine habitu, ex tali auxilio elicitur, quod Fidei & Spei cum omni actu supernaturali est commune.

requiritur aliquid potentiam potentia supernaturalis.

Primus actus Spei elicitur per auxilium Dei extrinsecum.

Secunda Conclusio: Spes est propriè & strictè virtus: ita D. Thomas hic, art. 1. & quaest. 4. de veritate, art. 1. & 3. estque communis Theologorum sententia. Probatur primò ex definitione virtutis propriè sumptæ, quam tradit Divus Thomas 1. 2. quaest. 35. art. 4. & quam in argumento *Sed contra* colligi dicit ex variis locis Divi Augustini, ut 2. de libero arbitrio, cap. 18. & 19. & 1. Retractat, cap. 4. quæ sic se habet: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus male uritur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quæ definitio secundum omnes partes convenit Spei eo sensu quo secundum varias sententias competit reliquis virtutibus, ut patebit si discurratur per singulas. Idem est si admittatur illa definitio quam adducit D. Thomas hic ex Aristotèle 2. Ethicorum, cap. 6. *Virtus est quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.*

IV. Ex definitio virtutis propriè dicta ostenditur Spem esse virtutem.

Definitio virtutis propriè sumptæ.

Spes